

cunda? & sic tandem processus dabitur in infinitum; quem natura non admittit, e. gr. generetur jam vermis ex caseo, caseus nō est materia, sed aliquod compositum, caseus jam fit ex lacte, lac ex chylo, chylus ex gramine comesto &c. ne igitur detur progressus in infinitum, statuenda est materia prima.

(1) Hæc distinctio materiæ in primam & secundam non ob omnibus eodem modo solet accipi & explicari. Quidam enim (1.) ita accipiunt eam, ut sit divisio materiæ in duas secundum rem distinctas materias, atque ita materia prima dicitur, ex quâ omnia corpora naturalia constant, ipsa autem ex nullâ aliâ materiâ constat. *Secunda* autem dicitur, quæ componitur ex aliâ materiâ, primâ nempe, estque nihil aliud, quàm compositum quoddam physicum ex formâ & materiâ primâ constans v. gr. aurum vel argentum dicitur materia poculi, sed secunda non prima. Lignum est materia lecti, ferrum clavi, pannus vestimenti. Quæ omnia quoque composita sunt ex materiâ & formâ. Estque hæc acceptio materiæ secundæ usitata quidem, minus tamen propria & accurata. Rectius tamen & accuratius (2.) accipi potest præsens distinctio, ut per eam non duæ secundum rem distinctæ, sed una eademque materia aliō atque aliō modo affecta & considerata indigetetur. Ut ita materia prima dicatur, quatenus consideratur in primō suō momentō absque omnibus formis ac dispositionibus ad formam, & prout est pura pura potentia passiva; eadem autem materia in secundō suō momentō considerata, prout nempe certis quibusdam dispositionibus ad formam recipiendam affecta & contracta est, dicitur materia secunda. Ex quibus patet, materiam primam & secundam h. m. acceptam non esse duas realiter distinctas, sed unam eandemque materiam, quæ quatenus præscindit à dispositionibus, vocatur prima, quatenus verò consideratur, ut habens dispositiones, secunda appellatur. Et quidem, quod materia secunda non sit compositum, aut, ut aliqui loqui amant, integrum corpus, ejus essentiam tam materia quàm forma ingrediatur, probari potest hoc argumentō:

*Si corpus organicum est compositum physicum, suâ materiâ suâq; formâ constans, sequitur quod corpus organicum sit compositum certæ speciei, & nō altera ejus pars. Sed posterius est falsum; non siquidem corpus organicum hominis est res certæ speciei, sed homo ex corpore organico & animâ rationali constans est res certæ speciei; falsum igitur erit & prius.*

Consequentia de se patet, quia forma unita materiæ rem in specie perfectam constituit.

Deinde, corpus integrum, vel, quod idem est, compositum physicum est entitas completa. Materia verò secunda e. gr. corpus organicum, non est entitas completa, sed incompleta, siquidē ordinatur ad completionem alterius, nimirum canis. Sit Syllogismus:

*Quicquid de se est incompletum quid, & ad completionem alterius ordinatur, illud non est, nec potest esse corpus integrum vel compositum physicum. Sed materia secunda de se est incompletum quid, & ordinatur ad completionem corporis physici. E materia secunda non est integrum corpus aut compositum physicum.*

(2) In numerandis causis ejusdem generis v. gr. in causis materialibus proceditur dupliciter: vel à

causâ materiæ in primam & secundam: vel à causatō ad causas, & sic quæ causa est proxima causatō, prima; quæ est admodum remota ab ipso, ultima appellatur. Et sic l. 5. Met. c. 6. discimus materiam proximam Aristoteli quoque dici *subjectum primum*, & valdè remotam ei esse *subjectum ultimum*.

(λ) Distinctio materiæ in materiam ex quâ, in quâ & circa quam potest duplici sensu accipi. 1. *Inclusivè* ita, ut sit distinctio ejusdem materiæ secundum diversa officia, & sic ex eadem materiâ v. gr. fit compositum, in eadem recipitur forma, & circa eadem versatur efficiens, ut formam introducat; vel *exclusivè*, ita, ut sit divisio materiæ in diversas & distinctas materias, ut alia sit materia ex quâ & in quâ, alia materia circa quam. Ubi porro notandum, quod materia ex quâ & in quâ propriissimè sint causa materialis. Materia verò circa quam, quæ aliàs objectum dicitur, accuratè loquendo, non est materia, sed est vel efficiens vel finis vel nullō modo causa. Hoc ut intelligatur, sciendum, quod materia circa quam dupliciter possit intelligi (1.) ut est movens s. agens in potentiam activam actione immanente (2.) quatenus est terminus actionis. Si consideratur materia circa quam, quatenus est movens, tunc consideratur vel (α) respectu potentie cognoscitivæ, quatenus in eâ sui speciem producit, & sic ad ipsam cognitionem eliciendam concurrat. Hōc modo materia circa quam est causa efficiens e. gr. calor est materia circa quam versatur visus & agit in potentiam visivam, quatenus in eâ sui speciem visibilem producit, & sic est causa efficiens. Vel (2.) materia circa quam consideratur, ut movens respectu potentie appetitivæ, & sic est causa finalis e. gr. bonum est materia circa quam versatur voluntas, bonum autem movet voluntatem tanquam finis, quia quicquid voluntas appetit, appetit propter bonum, tanquam propter finem. Si verò materia circa quam consideratur tantum ut actionis terminus, planè nō est causa, e. gr. si color tantum consideratur, ut visionem terminat, s. ut est terminus visionis, non est ejus causa.

(μ) Accuratè loquendo nulla datur materia transiens; quod probatur h. m. Qv. est materia propriè dicta, est in composito. Id quod dicitur materia transiens non est in composito. E. id quod vulgò dicitur materia transiens, non est materia propriè dicta, & consequenter non est materia. Regerunt nonnulli, quod id, quod materia transiens vocatur, non in fit quidem quoad totam suam entitatem; sed tantum quoad alteram partem, quæ est materia. At verò Resp. si materia transiens non inest secundum totam suam entitatem, sed saltem quoad alteram partem, sequitur, quod altera ista pars sit materia, quia autem altera illa pars est in composito quoad entitatem suam, idē altera ejus pars est materia permanens. Quod ut rectius intelligatur, notandum, quod materia transiens constet duabus partibus. (1.) formâ aliquâ. (2.) materiâ. e. gr. farina esse dicitur materia transiens respectu panis, igitur in farinâ datur forma, per quam est farina, & deinde materia aliqua. Jam dicunt, quod farina non in fit composito quoad formam, sed saltem quoad materiam suam, ut materia farinæ maneat in pane, tota igitur farina non est materia; nam materia farinæ manet in pane, & formam panis suscipit. Patet igitur, quod quocunque modo explicetur materia transiens, ea propriè non sit materia, sed, quod ex eâ remanet, sit materia permanens.

TABUL.